



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Liceatne nobis vti dicta saluatione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Maria plura ut rivulus Christus ut mare.

Vera sententia est. Mariam virginem magna gratia donatam esse, plenam esse, sed ut rivulus plenus, aut vasculum dicitur, Christum plenum, ut mare plenum dicitur; de Christi plenitudine, & nos omnes, & B. Virginem accepisse. B. Virginem nihil nobis nisi pro nobis, & nobiscum orando impertiri. Si quis vero existimat illam, de sua gratia nobis posse largiri, aut aliam in nobis efficere, eo modo quo Christus dicitur dare vel efficere, anathema sit. Non facimus ex Maria deam, nec Christi officia illi tribuimus, nec dubitamus tamen Angelam peculiari titulo matrem Dei futuram fuisse allocutum. Verbum igitur *χρησισ* non sic accipiendum est, ut similia, iam allata ut *καταειρηνη* dicatur, uti solent dicere *καρποσταθμην* glacie glaciata constricta, *κατακλινη*, obliquata, aliaque, quae ita actionem & mutationem significant, ut merito plenitudinis vocabulo explicentur; nec alia Syrorum habet expositio *מריא מלאה* plena gratia. Sic Lutherus Diabolificatos vocat Calvinistas, *דברא בלוא מליוס*. Quae omnia plenitudine illa non exaggerantur sed amplius aliquid significant.

Maria non est effatrix gratia nisi Christum pariendo, aut intercedendo.

QUESTIO III.

License uti nobis dicta salutatione?

Accusatio recitanti-um salutationem Angli.

§ 1. Graviter eam Calvinus inculcat: [Quod si Maria, ait, felicitas, iustitia & vita ex gratuito Dei amore fluant, eius virtutes, totaque excellentia, mera est Dei liberalitas: plusquam praeposterè faciunt qui ab ea perendum docent, quod aliunde nobiscum habet. Nimis verò crassa inscitia Papistae salutationem hanc, quasi Magico exorcismo, in preculam venterunt: atque eò prorupit vesania, ut concionatoribus fas non sit, Spiritus gratiam pro suggestu petere, nisi per saum Ave Maria. Atqui praeterquam quod sola gratulatio hic haberetur, temerè sibi alienum officium usurpant, quod Deus non nisi Angelo iniunxit, bis autem stulta emulatio, quod absentem salutant.]

Maria omnia ex Dei gratia habet.

Eadem paucis verbis immutatis Tossanus habet, & nonnulla de suo veneno adjicit. Equidem omnia illa ex mera Dei misericordia habet, & hoc quoque, ut oratione sua miseris succurrere possit. Nam amicitia Dei ad salutem aliorum, uti posse gratuitum maneris est. Cur autem ad dona Dei impetranda non vitamur idcirco eius intercessione, quia & ipsa de gratia Dei habet, quicquid habet, nulla causa est. Nam à diuite elemosynam egenus petit, quam tamen diuites non nisi aliunde habet. Quin & Paulus aliorum orationem pro se petit, quos tamen orandi gratiam non nisi aliunde habere ipse optimè norat: ut qui docuerat, ne nomen quidem Iesu nos posse sine Dei spiritu dicere. Stultum est igitur, nolle ab eo accipere, nisi qui aliunde non habet, nolle alienam orationem admittere.

Salutationi preces subdimus.

Nec salutationem in preculam vertimus; sed preces addimus, non quibus deam, sed Dei matrem agnoscimus; mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostrae.

Laudare Dei matrem hereticis est magna.

§ 2. Nimum vero indigna calumnia est, cum ait nos velut magico exorcismo in preculam vertisse. Verba sanè Angeli magicum nihil continent. Ipsa verba Dei sunt, & pars scripturae sacrae, nos illa usurpamus ut matrem Dei laudemus, illi gratulemur, non hoc magis magicum est, quam aliae sanctorum laudes. Quamvis igitur fremat stigmatias. Laudemus (Eccl. 44. 1.) viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua prae dicuntur in prophetis, dignitatem prophetarum, & imperantes in presenti populo, & ut tunc prudentia populi sanctissima verba. In peritia sua requientes modos musicos, & narrantes carmina scriptura-

rum. Homines diuites in virtute pulchritudinis stultum habentes; pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, & in diebus suis habituri in laudibus.

Si viros gloriosos, cur non & Domini matrem? Cur Angelus eius saluator non est magus? Ecce qui cum sequimur, esse dicimur.

§ 3. At nobis Deus illud non demandavit, sed Angelus. Nec mandatum legitur Elisabethae ut diceret, *benedictus fructus ventris tui*, quod de suo addidit. Quae igitur liceat nobis quod Elisabethae? Cur titulum deditur quem in parte Elisabethae reperitur? Non alia memore id agimus, quam, ut Dei erga illam dona, & per eam in nos derivata recordemur, per eam inquam, per quam datus est saluator mundi: Ridiculum propterea nullam salutationem nisi Deo mandante licitam esse. Hoc vero observamus, ut cum Angelo mandata duo sint: Saluator, & incarnationis denunciatio. Nos hanc non amplius annunciamus, postquam mysterium peractum est redemptionis. Salutationem vero iteramus, quia nomine, & titulo, quo illam Angeli dignantur, appellamus.

§ 4. Denique absentem queritur saluari. Absentem salutamus, quia intelligentem, ideoque salutationi nostrae satis praesentem, ut quempiam alloquamur, non opus est, nec sufficit praesentia corporum. Abunde est, si audiamur, si intelligamus. Haecque surdum frustra salutes praesentem, amico per litteras, aut alienum ministerium absentem loquentis. Si nos mentis nostrae & voluntatis signa absentem mittere possumus, non poterit Deus matri suae fidelium vota absentium representare? Quod cum modis multis fieri possit, quibus Deo uti placitum sit, hoc loco disputandum non est. Si Angelus Virgini Elisabethae conceptum, & in fectum iam mentem, indicavit, si Elisabethae, & Ioanni Christum in utero demonstravit, miro, sed oculo modo; non poteritiam gloriose in caelo nostras preces indicare?

§ 4. Porro Daniel Tossanus, ut imperite mendax est, alia miscet. Primo, salutationem angelicam in Papatu maioris officia, & religio obsequii observantibus, quam orationem Dominicam. Hoc mendacium non impar est alteri Calviniano, cum dicit Calvinus; Concionatoribus non licere gratiam Spiritus sancti petere, nisi per Mariam. Quae lex tota in Ecclesia nulla est. Imperitior tamen est Daniel Tossanus. Dei cultum virtutem religionis esse docemus, Beatae Virginis, non in modo non religio sioris, sed ne religionis quidem esse religio dicimus. Ita de religione D. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. & eo loco Theologi. Ex dicto Aug. 1. de vera relig. Religiō nos religio vni omnipotenti Deo.

Precatio, inquit, cum salutatione confundi non debet. Non video, quid homo perditae inscitiae sibi velit. Si enim id vult, non licere eadem in oratione salutare, & orare. Dauidi, & Spiritui sancto in Palmis pene omnibus controuersiam facit. Pleni sunt laudationibus, titulis, salutationibus, benedictionibus, & precationibus. Vt ratum est orationis salutationem praermittere. Si vero verba saluatoria, negat esse precantia, consentientes nos habet, quamvis opportuna salutatione non nunquam precandi vices subeat.

§ 6. Pergit tamen sibi laruas fingere, *stratum est virginem & n. bis non solum absentem alloqui, sed alloqui de futuro: conceptione, quae dudum praeteriit, & semel sanum fieri debuit.*

Rectè omnino facit, non mentiendo, sed tam manifestum mendacium reperito hoc est, non nunciando; non enim tam impudenter falli sententia bona Syntaxi digna fuit. Nos enim de his

ADAMI
+ Euan
C...

de futura conceptione Mariam non alloquimur, multo minus a nobis illa alloquitur. In salutatione angelica verba illa, concipis in utero, nunquam usurpamus. Si aliquando eam de conceptione alloquamur, de praeterito alloquimur. Hinc illa: Beata viscera Mariae Virginis, quae porta fuerunt aeterni Patris filiam.

Et: Enixa purpera regem
Qui colam verramq; regit.

Nondum cessat audax imperitia. Si gratulandum est Virgini, certe gratulandum esset, quod Saluatorem non in utero sed corde gessisset.

Imo gratulandum de viroque, & gratulamur quod in corde gerat, dum gratia plenam, Dominum cum ea, Benedictus dicimur inter mulieres. Si quis negat illi gratulandum quod in utero conceperit, in Dei gratia ingratus est. Angelus nos ea de re gratulari docuit, cum ait: Et ecce concipies. Elisabeth ipsa de conceptu illi gratulatur. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et quid hoc tibi ut veniat mater Domini mei ad me? Gratulatur illi, quia benedicta, & quia fructus ventris eius benedictus. Gratulatur sibi, quia mater Domini venit ad eam. Non gratulatur matri Domini, quia mater Domini est. An non magna dignitas est, esse matrem Domini, cum tanti esset visitari a matre Domini?

§7. Denique negat nos eam salutationem usurpare eo modo & fine, quo a Deo instituta fuit. Duos enim lines habuisse ait, Peculiarem respectu Mariae, quia fuit exordium colloquii. Generalem respectu hostii, ut nos admoneretur de veritate conceptionis.

Nos eadem etiam causas habemus, Nam Mariam rogatur hoc exordio ut miri, & de ingenti gratia Dei, qua conceperis, & natus homo est, admonemur. nosq; ad agendam gratias excitamus. Nobis enim ad fidem, spem, caritatem illa subsidio sunt, cum aliena bona nostra ducimus. Nos enim patet & B. Virgo per filium redempti sumus.

VERSUS 29.

Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista saluatio.

QUESTIO I.

Curnam turbata est?

Græce habetur in hodiernis, & dicitur, cum vidisset. Ita Syrus quoque Metbichasheba. Ita quoque Ambrosius, Theophylactus, Euthymius; duplex est igitur lectionis modus, noster legit cum audisset, ita esse in quibusdam veteribus constat, quod etiam Beza testatur. E contratio, quaedam Latina habent, vidisset Brugens. in not. ad Lucam.

Duo manuscripta, inquit, ab Hemenio annotata; vnum a Brugense, & quadam alia Zegeri, pro audisset, scribit vidisset; continentibus Græcis libris ac Syriis, & Dico Ambrosio ad stipulante, qui habet: Ipsa autem ut vidit eum mirata est.

Constat melius coherere verbum, audisset, nec enim tantum visu, quantum sermone turbata est; quamvis enim sine dubitatione Angelus cum maiestate apparuit, non tamen sine causa Evangelista monuit turbationem ex sermone ortam. Nam quod Beza, Toslanus, alique negant, eam Angelorum apparitionibus alluetam, cum hoc virginis puritas, suadet, & Patres asserant, Ambrosius hunc in locum & alii, contemnendum est: Turbata autem vehementer est, quod timorem grande, & concus-

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

forium significat, diciturque proprie de liquoribus dum agitantur, miscenturque, Od. 2.

Εταραχος εστι νοστιν.

Turbavit mare. nec mediocrem turbationem indicat, sed eam quae

Imu furit astus arenis.

Itaq; Maria turbata contremuit, & meditabatur, qualis esset illa saluatio.

Turbata forma & maiestate viri, ut Ambrosius ait, Visu & sermone turbata. Turbata auditu, ut Origen. Chryl. Hieronym. itaq; vtroque modo.

Maxime quod de fine & scopo salutationis, ut ait Syrus Metbichasheba, accuratè meditabatur, qualis esset illa saluatio, tam magna, a Deo, per tantum legatum.

VERSUS 30.

Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

QUESTIO I.

Quomodo inuenit gratiam?

§. 1. Inuenire gratiam est Deum habere fauentem, Ideo placere. Genes. 6. 9. & 18. 3. Idoneum esse, cui gratia detur. Calvinus, non dicit inuenire gratiam, quærentes, qui eam quæsiuit, sed cui vltro oblata est; Beza, ut magistri & non quærentem tamen, maluit Spiritum corrigere, quam verentes. vera dicere: vertit enim in gratia. [Neque hic, inquit, quicquam valet quod de meritis quidam nugantur. Nam ne Græcis quidem in exordio, semper dicitur de eo, quod labore tuo vel collatis beneficiis fueris adeptus (quemadmodum explicatur ab Vlpiano Grammatico, & usurpatur Rom. 4. 1.) sed interdum etiam de eo quod tibi nihil tale quærenti vel speranti obtigerit, nedum ut studueris promereri. Sic Greg. de Saule loquens, Israelis Rege designato præter omnem spem & expectationem eius (φωσι) τuis ονεις & πρεσβυτεροις εστιν ερωτων, βασιλειαν εδωκεν.]

§. 2. Inueniunt crebro qui non quærunt, sapienter tamen illi qui quærunt. Nos B. Virginem in ipso conceptu sanctificatam, non possumus dicere gratiam quæsisse, quam cum ipsa creatione nacta est, non magis, quam ipsam creationem. Non tamen inueniendi verbum ab Angelo positum nostrâ censurâ inducimus.

Primo, quia discere linguam veritatis à Spiritu sancto, quam docere eum, iustius est. Deinde quia verbum Hebræum מַצָּא מצא, utrumque significat, vel studio & diligentia, vel opportunitate, & aliam gentem inuenire. Quærentem inuenire significat Genes. 2. vers. 20. & 8. 9. & 26. 28. & vers. 12. 19. 31. & 27. 20. & 31. 32. & 33. 35. & v. 37. adeoque sapienter, in eadem Genes. nedum in aliis libris, non ergo ad vnam significationem restringi debuit.

Tertio, Beata virgo quamuis primam gratiam non quærens inuenit, maiorem tamen indes quæsiuit, & eo etiam quæsitam inuenit. Nam & tum valebat Proverbum, Quærite & inuenietis. Sapientiam quærere consuevit, & inuenit. Nec verum est, inuenire gratiam eos tantum, qui non quærunt, etiam de illis qui quæsiuerunt, dicitur. Genes. 6. 8. Noe inuenit gratiam, quam tamen inquisiuit, vir erat enim iustus in generationibus suis. Et Abraham Genes. 18. vers. 3. 30. 13. Gratiam inuenit, sed quærens. & Genes. 39. vers. 4. Ioseph inuenit in conspectu Domini suam gratiam, sed fidelitate & pruden-

C